

Miss-139



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

FAMILIARIS
QVAE DAM EPISTOLA
E ROMA IN HISPANIAM
MISSA,

In qua quid actum sit die xxix. Aprilis,
vij. Maij, x. & xvij. Septembris in
translatione Obelisci breui-
ter explicatur.

Brevis item rerum in hoc primo anno
à Sanctiss. D.N. gestarum
enumeratio.

Tò ἀξιον οβηγίου.



PERMISSV SUPERIORVM.

ROMAE Apud Alexandrum Gardanum, & Franciscum
Coattinum Socios. Impensis Bartholomei Grafi
Bibliopolae Romani. 1586.

E A M I L I A R I S
OVAE DAM EPIS TOLIA
E ROMA IN HISPANIAM
MISSA

In das dñe regnum ut die xxix Apries
ad Maii x. g. xxiij. Speculum in
interpretatione Opifici pietatis
est explicatur.

Bonum est etiam in hoc primis annis
ad Sanctum V. D. G. I. C. M. C.
eternitatem.

T. 6. 1. 10. 9. 1. 10.



PERMISSA SAPEROVIA.

ROMAE AD EDITIONEM CANTABRICANAM IMPRENTA
CARTARUM ET LIBRARUM IMPERATORIENSIS
BIBLIOPOLIS ROMANA. 1712.

DE 09311200
G. P. PETRO VELLEIO
S V O S. D.



V M ais (mi Vellei) ita nos
Vrbis amoenitate ac delitijs
delinitos, ut uestri memoriam (ah
scelus) penitus proiecerimus :
quæso te Vir summe an hæc ex
animo? ex animo (inquam) hæc
Vellei tuo ? quo , non uiuam,
si quid humanius , si quid pu-
rius , si quid candidius . Ego ni-

mirū postea quām à te absum , nulla alia me in tam de-
plorato naufragio solata est tabula, quām adsiduis ad
te literis (ut ut potui) incomparabilem absentiae istius
iacturam resarcire . Feci euidem: & cum iam quintus
miseri dissidijs decurrat annus, vix profecto mensem mi-
hi repetes (proximè elapsos duos aut tres excipito)
nostris epistolijs uacuum . Quid, quod nunc cessasti? in
causa inquam fuit repentinus noster ab Vrbe discessus:
nam cum constans hic percrebuisset fama, Olsun & Du-
cem quantocyus proficisci, Prouincia Mirandensi Co-
miti demandata, officij sanè mei esse putaui, uirum tan-
tis mihi (nosti) nominibus colendum, antè posectio-
nem ab Italia , salutare . Itaque Neapoli cum essem ,
quis amabò καὶ λόγον Vellei duceret ad te scribere ? ad
te , inquam , literarium perenne decus , Musarum uni-

DE O B E L I S C O.

cum ornamentiū. An ne quid Sirenum blandimentis
cum seuera ac rigida soe^s uestræ disciplina? Nunc & Vr-
bi redditus, & quod maius est, amatissimæ Bibliothecæ
nostræ, Deus meliora, quam ut committam, uel min-
imum temporis interire scrupulum absque præsentissi-
ma Velleij mei recordatione. Scio quid tu nunc: Six-
tici inquam Obelisci: Sane merito. Scripsi, si memini,
quibus machinis tam immanem diuellere molem in-
stituissent Architecti. Iam qui res successerit paucis.

Vicesima nona Aprilis sub ipsa luce opus incœ-
ptum est: Erat Obeliscus ualidissimis octo columnis
per latera circumuallatus, que concatenatae, atq; alijs
succrescentibus, & connexis, ipsum apicem ad sex pal-
mos præcellebant: Præfatis octo columnis totidem fa-
stigia superimposita, à quibus perpetue intrâ extraq;
succedentes fulcituræ, statuta tigna sustentabant, sic e-
niam ruinæ & inflexionibus prospectum. Tota vero ipsa
machina fortissimis laminis, ferreisque clavis à uertice
ad calcem religata, plurimis & retinaculis, & ductarijs
funibus (has canabos vocant) undequaq; suffulta. Ita-
quæ quadraginta primum trochlearæ à totidem mouendæ
ergatis, ualidissimis trabibus, quæ fastigijs inerant,
appensæ: horum singulis homines quindecim, equi duo
destinati, qui ad nutrum præfecti (qui undò vnicuique er-
gato vnuis præerat) præstò essent. Præfecti vero ipsi id
acceperant, vt cum tubæ sonitus signum daret, moues-
sent; cum vero cymbali, sisterent. Nec aliter his qui
vectibus quinque aderant, iniunctum est: porro illæ
septuaginta palmorum longitudine ex fortissimis tra-
bibus compactæ erant, tresque ab Obelisci fronte, duo
à tergo conspiciebantur. Primo impetu ferrea quedam
lamina, quæ machinam molem ipsam ambientem re-
ligabat, disrupta est; qua tamè vnius fermè horæ spatio
accommodata, decem demum impulsibus duos palmos

DE OBE LISCO.

ac dimidium in altum Obeliscus eleuatur ; nè tamen tanta pendente mole sinistrum quid accideret , cunei statim , ac tignorum cæsure , quibus obniteretur , suppositæ , tum deinde asseribus , ac cylindris , cubi quidam , & tesseræ , quibus insidebat , dimotæ , & quædam , (dicensimus nè traha ? dicamus , quando aliud non occurrit , curriculi genus est quocdam Italis strascino appellatum) supposita : Ergata quinetiam denuò , trabes , & canabi , ceteræque operæ mutatæ , atque in diuersam formam compositæ : dies nimirum sex ijs impensi ; Post quos , id est Maij septima , ima pars Obelisci , quatuor erectorum vi , quæ à tergo mouebantur , ceteris , quæ à fronte erant funes remittentibus , trahi paulatim coepit , ipse vero apex clementissimè vergebatur . Etenim (ut antea) ad tubæ sonitum posteriora ergata , laxis anterioribus impellebantur , ad cymbali vero quiescebant cuncta . Igitur duabus ante occasum horis famosissima moles integra omnino ac sine ulla prorsus iactura humi decubuit . Eo die , & si minimè loco dimota , tamen uiæ impedimenta quæ deducenda erat , sublata sunt ; in sequentem autem lucem ab ipso Obelisco ad aream , vbi nunc visitur , tumulus aggeritur , viginti duos palmos ea loci parte , qua prius stabat , in fine eminentioris surgebat enim ille paulatim , ita ut ab area ad Obeliscum in longitudinem i 18 . eius mensuræ quam Italî ex decem palmis ad veteris Decempedæ similitudinē , constantem , Cannam vocant , declini fastigio decidebat . Ne vero agger immensa mole fatisceret , validissimis trabibus undeaque premebatur , quæ loco cataractarum limis tigillis connexæ erant , & vnâ tignorum aliquot stationes religabant . Hac itaque Moles sex erectorum vi trahi coepit est : & quod per id temporis in Bononia Pontifex coenaret (ea est Regiæ pars quæ illa patet prospectus) breuius quidem quam credi pos-

DE OBELISCO.

test, urgente atque moras incusante Principis præsen-
tia, pertracta est. Verùm cū eo tēpore æstiuī soles su-
pra modum sequent, cessatum est dies aliquot, ne scili-
cet cannabi, ceteraque linea nimio calore conflagra-
rent. Itaque decima Septembris die prima lucis hora
erigi cœpit Obeliscus, cuius iam mucro (vti diximus)
subtus machinas iacebat: erant enim columnæ octo si-
mili qua priores illæ, quarum meminimus, fabrica con-
structæ, fulcimentis stabilitæ, cōcatenatæ, connexæ, sed
quæ priores illas vnum & quadraginta palmos pro lo-
ci eminentia, superabant: super has fastigia totidem, fa-
stigij inerant trochleæ ab ergatis similiter mouendæ.
Tota vero ipsa machina externo internoq[ue] chomate
muniebatur, externumq[ue] plurima tigna & trabes vn-
dequaquè sustinebant. Ergata autem quadraginta sex;
equi centum quadraginta; homines sexcenti; quorum
ergatorum quatuor imam Obelisci partem trahētibus,
reliqua à cuspide ad medium religatum erigebant.
Quid multa? eadem die hora vicesima quarta quadra-
ginta septem ergatorum nisibus stetit Moles. Tum dein
de decima septima mensis eiusdem, tesseræ, queis antea
nitebatur, suppositæ sunt, & in omnis sœculi memoriam
ad perpendiculum collocatur. Tandem vicesima sexta
eiusdem item mensis, gloriosissimo triūpho delecta est;
à Pontifice enim ad id muneric destinatus B. Feratinus
Episcopus Amerinus & Cancellariæ Apostolicæ Re-
gens, solemne prius ad Petri sacrificium fecit; inde ad
Obeliscum frequenti supplicatione peracta, multaque
super sanctissimæ crucis statuam æreā, sed inauratam
fabrè, piè precatus, illam tradidit Diacono sacris ad-
huc vestibus induto, à quo deniq[ue] in mucrone collocata
est, atq[ue] unâ tunc, cuncta tormentorum genera, quæ in
Sancti Angeli arce sunt, adsiduos dedere bombos: Ita-
quæ quod priscis illis naturæ miraculis, quæ à decimo

Leone

DE OBELISCO.

Leone ad Paulum orbis tulit, desperatum plane opus iudicatum est, id nunc aurea Sixti V. Pontificis, ætas perfecit, & absolvit. Audiui ego quidem uirum quendam doctissimum (quo coram de Obelisco familianter colloquebamur) facetè dicentem, eò ætatem nostram prioribus feliciorem futuram, quòd illæ integro quidem Obelisco potitæ tantùm fuerint, nostra vero & integro & contrito, sic nimirum rei difficultas, spes omnium debilitarat; Verùm (si quando) quod diuina attestantur proloquia, vel scilicet altissima montium cacumina pietati cedere, hoc maximè tempore experimen-
to tractauimus; *transfert monteis impunè sequenteis intermerata fides*. Res frequentissimo theatro peracta est, atque ex vulgi more non sine perpetuis acclamatiōnibus. Sepserat enim iam pridem trabibus Architectus bonam areæ partem, vt ab opere multitudinem arceret, vnde conuicinas domos Curiæ proceres adim-
plebant, reliquum omne confertissima peditum, equi-
tum, carpentorum turba occupabat. Nec prætereun-
dum, eo ipso die atque hora qua erigebatur Moles, Frā-
ciscum Luxemburgum Ducem Pinei in Vrbem adue-
nisse, vt à Christianissimo Galliæ Rege Legatus, Six-
to V. Pontifici summo eiusdem Principis lui nomine
obedientiam de more præstaret. Et certè non hęc sine
diuino Numine. Quid enim significet aliud Obeliscus
Petri ædium pro foribus à Sixto Petri successore col-
locatus; Quid Circi tot sæculis probrosum nomen, cru-
delissimique tyranni memoria vno die penitus oblitte-
rata; Quid denique uanis & superstitionis cineribus di-
siectis salutare uiuificæ crucis signum gloriösè erectū,
nisi nobilissimum Religionis nostræ tropheum, clarissimum de Paganismo triumphum, æternum veræ pietatis monumentum? Itaque opportunè quidem fors tulit,
vt ea, quam diximus, Galliæ Regis Legatio in id tem-
poris

D E O B E L I S C O.

poris incurreret, & vñà Vicarij Christi maiestatem & gloriā prædicaret. Pontifex quòd in sequentem diēm publicum Confistorium Pineo decreuisset, a Caballo in Vaticanum reuersus, vltimam (vt sic dixerim) manū præsentia sua operi imposuit: nam eo prætereunte quadragesimo septimo ac postremo ergatorum impulsu stetit Obeliscus. Architectus (cui nomen Dominicus Fontana Mili in Comensi Dicecesi ortus) multa sti pante cateruā ouans, immo planè triumphans domum reuertitur. Diceres Camillos, Fabios, Magnos, ab eodē iterum Obelisco & Vaticano in Vrbem, & Capitolium duci. Quæ restant haud dispari proculdubio felicitate peragētur: Etenim (mi Vellei) dici vix potest, quibus aū spicijs beatissimus hic Apostolatus mundo esulserit. Prima lux, que Sixtum Quintum Pontificem vidit, multa quidem illa præclarā ac salutaria Christianæ Republicæ augurata est: Nam uero in illo heroicarum virtutum, ex celsis, infra cœlq; animis, atque ad istud ipsum fastigium nati haud obscuriam inde collucebat igniculi, cum ab importunis Curiae tumultibus omnino sequestratus, ad secretiorem vitæ modum secessit. Itaq; Orbi demum ac bonis redditus, id sibi prius, ac potius duxit, ut eam quam de se inter rusticarē adhuc villæ dumeta delitescens, opinionem concitauerat, salutari bus officijs confirmaret, stabiliret, amplificaret. Fuerunt sanctissimi Pontificatus initia, Italia ferè omnis à misera laniena vindicata, perditissimorum hominum, quorum grassationibus viæ undique infestabantur, immensa propè colluuius inaudita hactenus celeritate & fortuna penitus deleta. Potentissimorum deinde virorum effrenati atque insolentes ausus in officio contenti, summo imperio cohibiti ac repressi, tanta denique bonorum animis præmiorū spes innatae, tam intrepidilis imis sceleratorum uisceribus pœnarum tremor insculptus

DE OBELISCO.




ptus, vt in ea vrbe (quā vnam ad libertatem, ac prōfligatam in rebus omnibus licentiam natam agnoscimus) ipsa hora à Sixto Quinto Pontifice renunciato, nulla omnino seditio, nullus tumultus, nulla infestatio, rixosæ quinetiam unius uoculae mira quedam religio ingenita sit. Nunc tandem tot laboribus exantlatis, tot confectis monstris, atquè ab Ecclesiastica ditione (quam cæteris puriorem sanctioremq; esse decet) sorribus egestis, iure quidem suo (ut ille alter) ad aureos legendos fructus animum applicat; ornat nimirum eam ipsam vrbum venustissimis, ac munificentissimis constructionibus, quam vera pietate, ac iustitia, religione non facta, cæterisq; coelestibus præsidij antea munierat. Vias in amplissimam rectissimamq; formam sternit; ad Agonalem (adumbrabo enim res tantum) aeris falubritate nobilem, magnificentissimos aquæductus deritiat. Lateranensem Basilicam, Basilicarum omniū Principem vetustate ferè collapsam splendidissimè cōstruit, atque Pontificio palatio exornat. In Deiparæ ad Niues, sacellum (quod in tenui adhuc fortuna insita magnanimitate inchoauerat) collocat; ibique de illustrissimo (o redeat serus) cogitat cenotaphio. Nec vero propter ea ad Principis Apostolorum cessatur; surgit in dies celeberrima fabrica, & breui (vt sperant boni) quod in commune cedet religionis decus, perficietur templum Domini. His aliud adiecit beatissimus ac prouidissimus Pater longè quidem utilissimum in Sacro-sanctam hanc Sedem meritū: Aerarium enim penè exhaustum decies centenis aureorum millibus ditauit, idque (incredibile) ex unius tantum anni Pontificijs redditibus, hanc autem aureorum summam nullo unquā tempore præter inibi expressos (quos vocant) causis extrahi posse, aut in alios usus conuerti, diploma-te, (ad cuius obseruantiam solemni sacramento se hæredesque

DE O B E L I S C O .

redesque suos adstrinxerunt Patres, sanctissime decreuit. Diplomatis ipsius (quando mira sententiarum habet pondera) exemplar transmittimus. Omittam diuina beatissimi Principis consilia, quibus Vrbi atque in Vrbe Orbis annonae ac rerum omnium penuria laboranti, extremaque timenti succurrit. Præterea denique maximorum facinorum grauidissimam mentem, quorum tamen vix iam tandem cohiberi potest impetus, prodeunt, euadunt, erumpunt. An non rerum magnitudo cum numero, numerus cum temporis breuitate, breuitas cum fortuna decertare de imperio videntur? Hęc quidem, mi Vellei, cum talia, ac tanta sint, aliorū Principum (esto) illustrissimi fuerint tituli, præclarissimaq; elogia, Sixtici verò Pontificatus rudes quędam adumbrationes atque informia tantum erunt delineamenta; ac tandem eo usque in ore hominum versabuntur, quo usque succedentium operum molibus penitus obruantur. Finiam semel: Fuerunt profecto, sunt, atque erunt quęcunque à tanto viro proficiscentur opera, iuxta Græcam paræmiam τὰ ἄξια ὀβγίων.


Francisco nostro plurimam salutem dico; valere etiā iubeo doctissimum Antonium, secretiorem præterea animi nostri partem Rodericum. Cum vero fortunatissimas rupeis illas, quæ Montanum habent, inuiseris, tacitus eas nostro nomine uenerare, atque anathemate quopiam pius exorna. Vale doctissime Vellei, & G. tui memoriam nè obliterato. Romę Id. Septemb. M. D. LXXXVI.





CAMILLVS AGRIPPA INVENTOR

ROMAE ANNO DNI MDLXXXII





Non posseduto da Olshki, Goux.

8

4 open in 1 volume
in ll' Obelico Vaticano
Rousseau

tree

✓

Serial 91-B
4313 c.1
0.65
2 Bound with
7 91-B 32507
3 88-B 4701 c.1
91-B 32719

